



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Ollegarij Archiepiscopi Tarraconensis epistola ad Raimundum Episcopum
Ausonensem suffraganeum suum, qua ejus consultationi respondet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

etiam juxta sanctorum canonum censuram decernimus, ut si aliquis Ecclesiæ Parisiensis Canonicus ad episcopatus fuerit honorem promotus, & alterius Ecclesiæ gubernacula beneficiaque susceperit, illius de qua assumptus est priveretur Ecclesiæ canonica.

Datum Laterani V. Kalendas Aprilis, Indictione prima.

*OLLEGARII ARCHIEPISCOPI
Tarraconensis epistola ad Raimundum Episcopum
Ausonensem suffraganeum suum, qua
ejus consultationi respondet.*

Ollegarius Dei gratia Tarraconensis Archiepiscopus venerabili fratri Raimundo Ausonensi Episcopo salutem. De juvene illo super quo me consuluistis ut vobis consulerem, qui puer puerum ludens ludentem impedivit ad casum quòd caput frangeretur, hoc nobis respondendum videtur. Quoniam ille vulneratus postmodum, ut fertis, convalescit, & post dies non multos in langorem recidens, defunctus est, rem quidem dubiam certa determinare sententia minimè possumus. Ambiguum namque videtur utrum ex occasione vulneris, aut ex incuria, aut ex alio aliquo, ut assolet, accidenti recidivus eum langor oppresserit. Verùm quoniam beati Augustini & aliorum doctorum consilia nos edoceant talia incerta in meliorem semper partem interpretari debere, de confidentia Dei, cujus misericordia melior est super vitas, præsumentes, hunc bonæ indolis juvenem laudamus in Ecclesia Dei ad minores gradus posse provehi. Si verò laudabilis vita & honesta morum conversatio cum ætate proficiens ipsum canonico tempore acceptabilem com-

Circa an:
112

198 MISCELLANEOBUM
mendaverit, sacros nihilominus gradus mediante
Dei gratia fortiri poterit.

Ollegarius Archiepiscopus subscripsi.

Raimundus Dei gratia Aufonensis Episcopus.

*Similes puerorum ludentium historias vide apud
Gratianum dist. 50. cap. 37. Clerico. in prima col-
lectione Decretalium Innocentij III. composita à Ray-
nerio monacho Pomposiano tit. 34. & in tertia colle-
ctione cap. 5. De homicidio.*

INNOCENTII III. PAPÆ
*epistola ad Ulgerium Episcopum Andega-
vensem, de confirmatione possessionum &
privilegiorum Ecclesiæ Andegavensis.*

Anno 1137.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei ve-
nerabili fratri Ulgerio Andegavensi Episcopo
ejusque successoribus canonicè substituendis in per-
petuum. In eminenti apostolicæ sedis spectula dis-
ponente Domino constituti, ex injuncto nobis à
Deo apostolatus officio religiosos viros debemus di-
ligere & eorum loca sanctæ Romanæ Ecclesiæ muni-
mine defensare. Æquum etenim ac rationabile est
ut quos erga beatum Petrum & nos ipsos in oppor-
tunitatibus fideles & devotos esse cognoscimus, eos
& à pravorum hominum nequitia tueamur & in suis
petitionibus clementer exaudire curemus. Proinde,
venerabilis frater Ulgeri Episcope, vir siquidem
prudens ac religionis amator, tuis justis postulatio-
nibus assensum præbentes, Andegavensem Eccle-
siam, cui Deo auctore præesse dinosceris, præsentis
scripti patrocinio communimus, statuentes ut quæ-
cunque possessiones quæcunque bona in præsentia-
rum ad eandem Ecclesiam justè & canonicè pertine-